

tionibus Cochleum exire iusserunt. Quinto die post, Lutherus vocatus ad Episcopum Treuirensis, Ioachimum Electorem Brandeburgicum, Georgium Saxonie Ducem, & alios quosdam proceres, cum comparuisset, & per Uaum Cancellarium Badensem varia sibi, artificiosa & politica oratione, proponi audiisset, quorum summa erat, ut reuocaret, & publice tranquillitati, & sua ipsius fama & uitae consuleret atq; parceret, Concilia etiam, quasi haec errarint, & contraria sibi ipsis statuerint, non deformaret: respondit humili animo, gratias se agere pro clementia paterna tantorum Principum, & se & sua omnia subicere ipsorum iudicijs, modo haec iuxta normam sacrae scripturae instituantur. Ad Concilia vero quod spectet, se ea non damnare in uniuersum, sed principaliter loqui de Constantiensi Concilio, quod non tantum contra ius, fidem, & equitatem omnem ea ratione, quae Christianis hominibus indigna sit, & infelices euentus habeat, egerit, & Imperatorem optimum, ac Principes seduxerit, verum etiam expresse articulum fidei damnauerit, uidelicet hunc: Credo Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem. His auditis Uaus, nomine Principum, instat petendo, ut Lutherus sua scripta cognitioni Caesaris & Principum subiiciat, quod si facere recuset, periculum esse, ne quid aliud cum ipso agatur. Ille se omnem debere magistratui obedientiam usq; ad aram profiteretur, vitam